

erkennt und nennet, sondern etwa aus ehrgeiz recht thut, und aus einer verfuhrung und eitelkeit solchen glauben und erkantniß nicht gestehen wil. Ex quibus igitur de statu controversæ, quantum satis, constabit, & necessarium non erit, addere, quod causa per se dicatur, quæ quæ talis est, effectum producit; causa per accidens verò, quæ verè quidem, non tamen quatenus talis est, producit effectum. Ut hinc quæstio sit: Num Atheismus quæ talis, i. e. secundum formalem suam rationem ac indolis seu constitutionis suæ vi, ad improbitatem vitæ ducat; an verò hæc ex illius abusu tantum aliquando fluat? Atque sic etiam, conjici posse, reor, quomodo intelligenda quæstio sit: An Atheismus necessariò ad improbitatem ducat? quæ loquutio: Das nicht ein liederliches Leben mit der Atheisterey nothwendig verknüpft; alias ambiguitate non omni carere videatur. Si enim sensus esset, Atheismum hominem velut adigere ad malè agendum & necessitatem peccandi ei imponere, quasi Atheus nulla ratione nulliusque causæ intuitu quod bonum agere possit, juxta præcedentia, in negativam sine difficultate concessuri essemus. At quando sensus est, Atheismum vi suorum principiorum hominem ad impietatem ducere ac invitare, nec ad bonum eum, sed malum impellere, non possumus non, quin huic affirmativæ subscribamus.

§. III.

Certissimum est, DEum omnibus hominibus in ipsâ naturâ se manifestasse, *Rom. I, 19.* nec sine testimoniosis relinquere se ipsum, *Aet. XIV. 17.* ut querant Dominum, si omnino palpent ipsum, & inveniant, *Aet. XVII. 27.* Certissimum etiam est, DEum se non tantum ut Creatorem ac Conservatorem manifestasse, sed etiam ut Legislatorem, *Rom. II, 15.* & quidem manifestasse se talem ad convictionem usque, ut sint homines inexcusabiles, *Rom. I, 20.* & naturâ facere possint *γάγειν*, conscientiâ illorum testimonium perhibente, & cogitationibus se invicem vel accusantibus, vel etiam excusantibus, *Rom. II, 14. 15.*

Ut